

## Franckesche Stiftungen zu Halle

### Christologia Concordans Evangeliorum Occasione Responsi Summe Rever. Dn. Valent. Ern. Loescheri S.S. Theol. D. & Superint. Dresd. &c. nec non ...

Winckler, Balthasar

Bernburgi, MDCCXXVIII.

VD18 13484893

#### Appendix IV.

---

##### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

##### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-199360

cationis contituamus, quod Christus qva  
Homo vi unionis & communionis persona-  
lis ineffabilis, qva (juxta Diss. p. 37.) divi-  
na natura fit Hominis & humana fit Filii  
Dei natura, omnipræsens sit, in hypostati-  
ca corporaliqve naturarum, connexi-  
one, divinitatis Spiritu! eum Disserta-  
tione itaqve p. 48. opto voveoqve, ut tan-  
dem omnis in Protestantium grege facessat  
inanis & morosa logomachia, & utriqve  
Doctrinas illas missas faciant, qvæ veritati  
sacrarum literarum, mutuæqve fraternæ  
benevolentia contrariantur! Exaudiat ab  
excelso Dominus noster Jesus Christus pia  
vota! Amen!

## APPENDIX IV.

**P**rovidente Deo ad manus pervenit quo-  
qve modesta longe celeberrimi Dn.  
CHLADENII S.S. Doct. & P.P. Witteber-  
gensis DISQVISITIO de Consilio Irenico  
Alloqvii Tubingensis circa doctrinam de  
PERSONA CHRISTI, Respondente Claris-  
simo Dn. M. Balth. Gottlob Hoffmanno  
Schmidbergenensis Ecclesiæ Pastore Substitu-  
to dignissimo 1722. instituta, qvæ mihi valde  
opportuna visa est ad demonstrandam Pro-  
testantium Confusionem & Conciliationem.  
I. Lar-

I. Largimus faciles, doctrinam Evangelicorum, de Persona Christi, hujusque naturarum unione & communicatione, & inde fluente meriti valore, ut religionis christianæ acropolin, omni studio servandam & ingenue conciliandam esse.

II. Quamvis certissimum sit, Prostantes in summa fidei internæ inter se consentire, omnesque hæreses unanimiter averfari, Disquisitioni tamen concedendum esse videtur, ipsos in externis fidei formulis, hinc in excessu, illinc in defectu peccantibus, vere inter se dissensisse, ac Reformatos unionem personalem, seu Naturarum & proprietatum in, persona Christi unionem & intimam, conjunctionem Lutheranis quidem, concessisse, sed communicationem, tamen tantum per ipsam earum conjunctionem, & non plus descripsisse, & sic communicationem re ipsa, negasse, adeoque Alloqvii conciliationem per *συνδιακονίαν* & conjunctionem, naturarum & proprietatum, insufficientem esse & insidiosam, sed requiri etiam ad unionem veram, ut Reformati naturarum &

„proprietatum realem communica-  
tionem & participationem collati-  
vam a divinitate ad carnem tum hy-  
postaseos. tum naturarum, tum idi-  
omatum præcipue Majestatis, ore &  
corde cum Lutheranis credant &  
confiteantur, p. 55. Hoc ut fiat, in-  
quit, & Reformati honorem Deo tri-  
buant omnibus votis experendum  
nobis videtur: quamadiu vero in his  
nullus apparet consensus, nulla quo-  
que valebunt consilia irenica, p. 56.

III. Disquisitio p. 36, 37. ægre admo-  
dum fert alloqvii assertum, *neutrâ* scil, *Pro-  
testantium partem alterius mentem satis intelle-  
xisse*. Verum hoc neutiquam tot eruditis-  
simis utrinque Viris opprobrio datur, cum  
felicitatis seu intellectus agentis in rebus  
perturbatis expeditionem inventientis, sin-  
gulare prorsus divinum donum sit a Deo,  
ut arrogantiam humanam confundat, ple-  
rumque humilibus datum, ut hinc optimi  
quique, se aliquid humani pati potuisse, fa-  
cile concessuri sint. Id tamen revera ita  
accidisse, vel ex ipsa hac disquisitione pate-  
scit, quæ p. 36. Bezzæ vota in colloquio  
Mompelg. ad D. Andream iterata adducit:  
„*Utinam nos melius & rectius intelligere-*  
*mus!*

mus! & p. 30. non negare se posse fatetur,  
terminos abstracti & concreti, Personæ &  
Naturæ, æquivoce acceptos, omnem litem  
fundasse: & p. 34. De Summe Reverendo  
Dn. D. Strimesio, Seculi nostri Bucero &  
Irenicorum Principe, conqueritur, quasi in  
Entw. der Einigk. p. 86. Lutheranis ea im-  
putaverit, quæ nunquam docuissent, scil.  
communicationem naturarum & proprietat-  
um a natura ad naturam in abstracto reci-  
procam fieri, & speciatim Abstractum fal-  
sum, nempe naturæ, a Lutheranis credi, seu  
humanitatem in abstracto esse omnipræsen-  
tem &c. Sed quomodo quæso Reformati  
Lutheranos aliter intelligere potuerunt,  
cum hi omni nisu contenderunt, commu-  
nicationem Majestatis divinæ fieri ad hu-  
manam naturam in abstracto, ut ipsamet  
caro seu corpus humanam sit omnipræsens  
in cœna & in operatione apud creaturas?  
Insimulat quidem p. 32. Reformatos,  
calliditatis, quasi sub pulchro titulo,  
Concreti Personæ (Christum ut De-  
um & Hominem esse omnipræsen-  
tem,) Lutheranos fallere sara-  
gant, cum tamen id solummodo de,  
concreto naturæ divinæ, Deo, per,  
alloeosin vel Synechdochen intelli-  
gant,

Q 5

gant,

gant, quod Christus omnipræsens sit ut Deus in & per divinam naturam, quod tamen ad hoc mysterium communicationis Idiomatum minime sufficere possit. Quod „si vero, inquit, cordate & sincere „nobiscum concretum naturæ, quod „cum concreto Personæ coincidit, in- „telligerent, tum spem haberemus „veræ unionis in hac doctrina.

Ast ipsimet Lutherani potius astutiæ reos se faciunt, dum concretum naturæ humanæ, verbo quidem cum D. Wigando ponunt, Christum quæ Hominem esse omnipræsensem, & tamen revera abstractum naturæ cum D. Heshusio intelligunt, nempe naturam humanam esse omnipræsensem &c. unde sane a plerisque Lutheranis, nedum Reformatis, quæ vera Lutheranorum sit sententia, capi haud potuit. Facta autem hæc confusio Lutheranorum culpa, qui, ut falsum Ubiquitatis corporis dogma huic mysterio intexerent, hoc inextricabilibus tricis implicarunt, subsidio quæsito, mox *in actu personali* humanæ naturæ, ubi hypostasim λόγος humanitati communicam, ut divinam infinitam conceperunt, quæ infinitam hinc carni subsistentiam & existentiam afferret: quo ipso tamen veram

ram communicationis rationem sustulerunt. Si enim hypostasis λόγος carni unita manet Deus & non fit Homo finitus, communicatio nulla est, sed tantum junctio aut sustentatio: Unde cum verum communicationis subiectum in hypostasi divina, utpote cui absurde divina communicata dicerentur, quæ jam habet, ponere non poruerunt, quæsiuerunt mox subsidium in *Communicatione Naturarum & Idiomatum abstractiva*, & fecerunt *carnem in abstracta ejus subiectum*, obvelando id per abstrusam distinctionem inter *Abstractum Naturæ*, (quod remotum a se volunt,) & *Abstractum Personæ*, quod cum Concreto naturæ coincidat, quasi ipsis unum idemque sit, Homo Christus est omnipræsens, & Humanitas Christi est omnipræsens. Sed ita inciderunt in inexplicabilem prorsus difficultatem a D. Wiggando subacti judicii viro, bene & erudite D. Heshusio demonstratam, *quod hoc modo duplicaretur abstractio*. Si enim λόγος hypostasis ut divina infinita, & soli divinitati propria conceipitur, in qua est & manet Deus, de quo ut concreto personæ & naturæ divinæ absurde prædicarentur communicata. Divina majestatica, quæ jam habet, necessario *caro sola* hypostasi humana carens subje-

subje-

Subiectum communicationis ponendum relinquitur: Sed sic male hæc abstrahitur a sua hypostasi humanitati propria facta, & ab altera natura divina, per solum hypostaseos vinculum hypostatice ipsi unienda, & mente ponitur extra consortium personalis unionis tum hypostaseos, tum divinitatis, nec quicquam hic ipsi juvat perichorexis & *συρδύσεως*, atque sic de carne nude concepta nulla ratione prædicari possunt majestatica divina axiomata & apotelesmata, En vobis difficultates, quas Lutherani in hunc usque diem explicare & invicem intelligere in bellis suis ubiqvisticis nequiverunt! quomodo quæso Reformati ipsorum mentem assequi potuerunt?

IV. Interim tamen disquisitio multa supeditat ad concordiam nostram admodum opportuna. Consentit quippe p. 43. seqq. Etsi ratione rei & Personæ totius, unio personalis ipsissima sit hypostaseos, naturarum & proprietatum communicatio, in sensu tamen strictiori formale esse discrimen inter *unionem* naturarum & *communicationem*, atque illam sese habere ut *Antecedens*, causam & fundamentum hujus, hanc vero ut *Consequens*, finem & effectum collativum, quo id quod proprium est uni naturæ communicatur alteri in concreto, ad communem

nem possessionem, & si operativum est, ad communem usurpationem & denominationem.

V. Hypostasim, essentiam divinam & humanam cum proprietatibus suis, eundem a parte rei seu Personæ unum idemque esse, v. g. hypostasim λόγος ipsam Φύσιν λόγος divinam esse, aut ratione formalis sui actus, minime ratione nostra ratiocinante per fictionem sic distingvi, sed ratione ratiocinata deprehendi ut realiter distinctissimas, v. g. essentiam λόγος divinam, neutriquam esse aut fieri essentiam λόγος humanam, aut huic conferre divinas proprietates.

VI. Hypostaseos unionem & communicationem cum naturis esse vinculum unionis & communicationis naturarum personalis, unde utraque hypostatica audit. Hypostasis autem non abstractivè ab essentia aut essentia ab hypostasi, ut singulare subiectum concipi potest, sed hypostasis cum utraque natura, simul concepta, fundat concretum personæ seu πρῶτον, quod simul Θεάνθρωπος est, Deus in Deitate, & Homo in humanitate, unus idemque Christus, de quo prædicantur naturæ & proprie-

prietates καὶ εἰς, divina de Deo, huma-  
 na de Homine, & quidem in conjunctione  
 naturarum & proprietatum intima persona-  
 li, quia hypostasis utrique naturæ, essentia-  
 lis est, ut hypostasis & φύσις λόγος, divina  
 sit Deus, & hypostasis & φύσις λόγος huma-  
 na Homo sit. Et hæc communicatio hy-  
 postaseos λόγος ad humanam naturam facta  
 est, propter incarnationem, ut eadem hy-  
 postasis λόγος, quæ in divinitate a Deo Pa-  
 tre genita est ut Deus, in humanitate e Ma-  
 ria assumpta ab hac nasceretur ut Homo. Et  
 quando hypostasis λόγος in naturis conside-  
 ratur, ut distincta oriuntur hinc concreta  
 naturæ, vel divinæ, ut hypostasis λόγος  
 in divinitate sit Deus, vel humanæ, ut in hac  
 sit Homo. Quapropter usus vocabulorum  
 concreti & abstracti minime est improban-  
 dus, utpote quæ non sine providentia Dei  
 inventa sunt, ut iudice B. Luthero, Ar-  
 ticulus de Christo clarius & distinctius pos-  
 sit explicari.

VII. Unio & communicatio hyposta-  
 seos cum naturis hæc personalis & essen-  
 tialis, est causa & fundamentum commu-  
 nica-

nicat  
 proc  
 effec  
 ceptu  
 eta.  
 ad r  
 ficii  
 valor  
 potu  
 mori  
 mo  
 est.  
 est  
 est  
 scrip  
 ut f  
 turæ  
 εἰς  
 ἄλλο  
 verla  
 scil.  
 εἰς  
 ἄλλο  
 tem  
 ἄλλο  
 prie  
 nali

nicationis naturarum & idiomatum reci-  
 proce & alternativæ, quæ illius finis &  
 effectus est, & hinc in formali suo con-  
 ceptu & actu ab illa omnino est distin-  
 cta. Illa pertinet ad incarnationem, hæc  
 ad redemptionem necessaria est, & ad of-  
 ficii mediatorii dignitatem, potestatem &  
 valorem; quia si Deus in Deitate sola  
 potuisset peccatori succurere, & pro eo  
 mori, non opus fuisset incarnatione, Ho-  
 mo autem in sola humanitate insufficiens  
 est. Subiectum ergo communicationis  
 est concretum naturæ, prædicatum autem  
 est abstractum naturæ diversæ, quod  
 scriptura effert voce *carnis* aut *Spiritus* :  
 ut scil. Deus Christus ut concretum na-  
 turæ divinæ agat in abstracto non κατ'  
 ἐαυτὸν, per Deitatem unitam, sed κατ'  
 ἄλλο, per communicatam carnem : vice  
 versa, ut Concretum Naturæ humanæ  
 scil. Homo Christus agat non κατ'  
 ἐαυτὸν secundum carnem Deitati uni-  
 tam, tanquam per hanc omnipresen-  
 tem & infinitam factam sed κατ'  
 ἄλλο per alteram naturam cum pro-  
 prietatibus communicatam carni perso-  
 naliter unitam, nempe per *Spiritum*  
 Deitæ.

Deitæ.

Deitatis omnipræsents, ut omnia impleat ut  
Homo, non plenitudine carnis omnia im-  
plentis *ratione essentie*, sed plenitudine divi-  
nitatis carni tamen corporaliter ubique uni-  
tæ & eam personaliter inhabitantis, & car-  
ne *ratione personalis unionis* per plenitudinem  
divinitatis ubique operante. Uti enim com-  
municatio hypostaseos λόγος Dei ad carnem,  
ipsi ut Deo, affert δύναμιν passionis & mor-  
tis: quam ut Deus non habet, ita & hoc  
ei affert, ut in carne sibi personaliter unita  
& corporaliter communicata possit ἐντελέ-  
χειαν seu actum passionis & mortis obire,  
seu ut ut Deus vere & realiter possit nasci,  
pati, mori in carne: Ita pari modo Homo  
Christus ex communicata carni λόγος hypo-  
stasi, a divinitate inseparabili, accipit etiam  
δύναμιν seu potentiam, ut possit ἐντελέχειαν  
seu actum omnipræsentiæ & Majestatis di-  
vinitatis carni personaliter unitæ, corpora-  
liter in carne, seu juxta modum unionis per-  
sonalis corporis & animæ, exercere & in  
humanitate per divinam actionem & opera-  
tionem omnipræsens esse.

VIII. Optat disquisitio p. 32. ut Re-  
formati cum Lutheranis per subjectum  
Christi Hominis, non solum concretum Per-  
sonæ, sed sincere concretum naturæ  
humanæ

humanæ in communicatione Maje-  
statis intelligant, ita enim, in-  
quit, spem ipsos posse habere unio-  
nis veræ. De qua p. 61. valde dubitat,  
Allocutorem promissi hujus specimen ipsis  
unquam ob oculos positurum esse, quo Re-  
formati mentem suam veræ Lutheranorum  
sententiæ conformem explicaturi sint,  
siquidem *magnum & multum* hoc ef-  
se, quod Excell. Dn. D. Pfaffius *hic sibi sum-*  
*ferit.* Addit tamen Lutheranos per-  
tor colloquia, collationes, scriptio-  
nesque hanc pacem anxie desideras-  
se, ut hanc veritatem cœlestem Re-  
formati cum ipsis sine omni furo &  
mentis reservatione profiterentur.  
Non enim exprimi posse ait. quan-  
tum tunc gaudium in cœlis & inter-  
ris, oriturum esset. Unio enim tunc,  
realis vera esset & optima; neque,  
opus esset, ut per clausulas, & co-  
rthurnos conciperetur, sed unitas fi-  
dei & professionis, quæ sola vera,  
est, effloresceret nemine cogente, per-  
suadente, aut artificijs inanibus ve-  
ritatem *supprimantibus* utente.  
R *Hoc*

„Hoc vorum, inquit, nostrum san-  
ctum, pium & Deo placens est  
Bona sane verba hæc sunt!

Agite ergo, o Lutherani mei optimi,  
ecce vobis hic sisto talem sincerum & ve-  
rum Reformatorem Fratrum nostrorum, &  
inprimis Marchicorum Theologorum cele-  
berrimorum Consensum, quem & reliqui ad  
unum omnes contestabuntur. Gaudete  
itaque mecum gaudium illud magnum  
vehementer a Vobis expectatum & desi-  
deratum, atque Deo T. O. M. pro tan-  
to beneficio gratias agite quam maxi-  
mas! mittite nunc quæso generoso ani-  
mo omne partium studium & sectarium  
odium! Nam, ut cum disquisitioni-  
bus verbis pag. 63. concludam, res  
hæc tota non hominum est, sed Dei  
& Ecclesiæ. Judicium erit posterita-  
tis, quæ, quo animo, imperu, mo-  
do, sine, consilio gestum sit negoti-  
um irenicum & antiirenicum ex  
eventu rerumque monumentis accu-  
rate & sine præpostero affectu judi-  
cabit, Opus omnino est hic matu-  
ritate, deliberatione diuturna, col-  
latione reperita, ingenua, indiffe-  
rente,

rente, cum Viris de Ecclesiæ salute,  
& veritate tuenda, sine partium &,  
vincendi studio, sollicitis, multis,  
que aliis momentis, nisi quemquam,  
consilii pœnitere debeat, quod cate-  
rum ad universam Ecclesiam, uni-  
versos ac singulos credentes, spe-  
ctare, & cum gloria Dei ejus emo-  
lumentum verum unice pro scopo,  
habere debet. Hoc etiam pio in Eccle-  
siam Patriamque animo laborem huncce  
meum, ea, qua decet, submissione uni-  
versæ Ecclesiæ judicio offero ac Cordato-  
rum & eruditorum Virorum Consiliis ac  
opibus porro juvandum commendo, cum  
piis precibus, ut Deus omnium nostrum  
animos regat ad veræ mentis suæ revelatæ  
indagandæ studium, in cujus unanimi co-  
gnitione animorum nostrorum conjunctio  
Ecclesiæque pax unice sita est, atque ut  
sic constanter Veritatem pacemque ame-  
mus in gloriam suam salutemque  
nostram! Amen!

